Pomorski Stanislai: Quaestio de testibus infamia facti vel iuris notatis.



~~2611 Piano~~

QVÆSTIO DE TESTIBVS, INFAmia Facti, vel Iuris notatis.

Ad c. Testimonium. Ext.

DE TESTIBVS & ATTESTATIOnibus. Iuncta L. 1. ff. de Testibus.

QVAM

Sub præsidio Admodum R̃ndi & clarissimi Domini,

D. IACOBI NAYMANOWIC, I.V. Doctoris & Professoris Ordinarij, Archidiaconi Pilecen̄ &c.

Proponet ad disputandum pro ingressu ad primam lauream Iuris:

STANISLAVS POMORSKI, *Artium Liberalium in Academia Crac. Magister.*



CRACOVIÆ,
In Officina Typogr: Matthiæ Andreouien̄.
Anno D. 1618.

bb.

IN ARMA
Illustrissimi DVCIS à ZBARAZ.



Esſete ſecuri, nil vnquam triſte timentes
Lechiadæ, portâ triplici, lunaq; nitente
Et cruce ſuffulti: cordati militis enſe
Ac haſtâ, Regni diſcrimina temnere præſtans
A ZBARAZ DVX en ſuadet, protector auitæ
Relligionis, honoratæ Pietatis amator:
Ore, manuq; potens; fortis, prudenſq; decorus
Conſilio, niueum fundens in corda liquorem!
Enſifer, haſtatuſq; in aperta pericula miles
En ruit, vt Patriam rebus defendat in arctis.
Ergo diu incolumis viuat, Muſiſq; calorem
INCISOR REGNI inſpiret Dux inclytus. Eia
Vates æterno perſoluite vota Tonanti.

M. Matth: Buczkouij.

Illuſtriſsimo Domino,
D. GEORGIO
DVCI à ZBARAZ,
Supremo Regni Pol: Inciſori:
Pincenſi, Sokalienſi, &c. &c. Capitaneo.
Domino & Patrono colendiſſimo
εὐπραττεῖν.



Dmirandus vitæ incorruptæ & morum integritate Pythagoras, Illuſtriſſime DVX *nihil Deo ſimilius iuſto homine aſſeuerabat. Nec immeritò: omnibus enim virtutibus ſuum decus attribuet, & ornamentum: ad quam ceu ad ſignum & finem omnis honoris & dignitatis cæteræ diriguntur, & & in ea ipſa conquieſcunt. Quemadmodum enim ſol eximio ſuo ſplendore, omnium ſyderum claritatem obtenebrat; ita iuſtitiæ ſplendor ſuum cuiq; tribuens, omnibus virtutibus antecellit. Eſt enim tanquam heſperus & lucifer ſolem omnis decentiæ præcedens, & ex eo promanans. Hinc fit vt pulchritudo illius omnes ſuos amatores inflammet, & ad finem certiſſimum deducat. Fa-*

cile quippe in officio boni consistunt, illa principe: mali autem à vitijs reuocantur, illa examinatrice. Quid enim? vbi non est iustitia, ibi nec Respublica esse potest, nec populus cum Senatu, & Principe rectè consentire. Tunc enim insidiæ occultæ locum habent, tum detractio odiosa, tum inimicitiæ, contentiones passim vbiq; struuntur, tum deniq; liuor & ambitio detestanda exurgit, & caput virulentum exerit. Remota igitur iustitiæ ratione, & æquitatis firmamento, quid fient regna, nisi latrocinia? quid sublimium heroum & Principum palatia, nisi spellæa leonum, & omnis ferocitatis latibula atque iniquitatis asyllum? Et quemadmodum ignis ardere & viuere non potest, nisi aliquo pabulo pingui foueatur: sic animi materia & cibus est iustitia, qua tenetur ad vitam, & omnes Reip: partes sustentantur, cuius munere homo cum suprema Mente coniungitur, illiq; penitus adhæret. Hinc diuinus Plato. Quicunq; (inquit) multas inuenerit in sua vita iniquitates, ex ipso etiam somno tanquam puer excitatus extimescit, furijs in conscientia agitatur, & in pessima spe viuit. At verò qui iustè, ac sanctè vitam degit, dulcis eum spes comitatur cor nutriens, senectutemq; fouens in animi tranquillitate; vt pote legibus addictus, omnia cum veritatis consensione facit, & veluti sagittarius, semper animum intendit ad scopum virtutis, & fidei integritatem. Omnibus id liquidò patet, eum quicunq; à veritate aberrat,

illico

illico à legibus, tam Diuinis, quàm naturæ, & humanis auocari, ita vt nec priuatī, nec publicè ſana mēte aliquid aggredi poſſe videatur. Nā ſi prima vis animæ eſt mens, cuius actus eſt perpetua veritatis contemplatio, profectò nefas ducemus eum, qui bene beatéq; viuere intendit fallere, aut fraude doloq; circumuenire. Simulatio enim linguæ, cordis diſcidium indicat, eſtq; afflictio, & ingruens ac periculoſa Reip. calamitas, perinde ac ſi ægrotus medico, vel nauta gubernatori aliquid alienum à veritate, ſuo malo & aliorum exitio obtruſerit. Quocirca cum ad fallacias paſſim inſtructi ſunt mortales, hac præſertim temporis iniquitate, quando probro ducitur piè viuere, iuſtè ruditati cuidam attribuitur, peierare vrbanitati confertur: non alienum ab inſtitutis meis duxi, in aſpectum hominum lucemq; proferre, teſtimoniorum dicendorum momenta & rationes: quo pacto notum ſit omnibus, teſtes niſi cum veritate conſentiant, infideles eſſe cenſendos, infamiaq; facti vel iuris eſſe notandos: & quibus ſic nota ignonimiæ inuſta fuerit, ad teſtimonium in omni genere cauſſarum nequaquam eſſe admittendos. Plauſibilis vt puto, eſt ad diſceptandum materia, & in communi viuendi ratione perneceſſaria, quam quidem ego, volens prodeſſe cæteris, vt ſine iniuria in Politia viuatur, ſub præſidio Illuſtriſſimæ Celſ. Tuæ ad diſputandum in Acad. Crac. publicè pro aſſequenda prima in Iure vtroq; laurea auguſtiſſimo nomini tuo ſub-

 ſcriptam

ſcriptam propoſui. Idq; vel maximè eo nomine, vt huic luci meæ aliquid lucis à ſplendidiſſima Generis tui claritate, & illuſtrium factorum tuorum celebritate addatur. Neq; enim video multa eſſe in noſtro Regno Gentis decora adeò illuſtrium virorum monumētis conſignata, quæ cum Generis tui celſitudine, vel antiquitate, vel rerum geſtarum gloria poſſint vſpiam tutò comparari. Magna est vis ſanguinis tui ab aureo ramo virtutum profluens, quæ vſq; in Reip. commoda exuberat, & in Regni ornamenta à Maioribus tuis tanquam perenni fonte deriuatur. Quo fit, vt & Sereniſſimo Regi charus, Senatui iucundus, nobilitati venerandus, imò toti populo admirabilis appareas. Quocunq; enim te confers, inibi clementia in omnes, liberalitas in egenos, in Deum pia affectio, in Academiam relligio comitatur vbiq;, ita vt omnes qui te nôrunt viri literati Muſageten ſeu Muſarum Patronum ſalutent: & nunquam ſatis iucundiſſimo conſpectu tuo ſatiari valeant; qui autem de te, ac rerum geſtarum gloria, fama aliorum percipiunt, incredibili tui deſiderio exæſtuent, & in hanc excelſam tui vultûs grauitatem, verborum authoritatem, oculorum comitatem, factorum magnanimitatem, placidiſſimo humanitatis ſucco reſperſam, prudentiam, iuſtitiam, pietatem, venerationis pariter & amoris affectu maiorem in modum rapiantur. Quare pro ea, quâ es in literas & literatos viros comitatę & beneuolentia, accipe hoc primū

in te

in te animi & cultus mei pignus non contemnendum, accipe tesseram meæ submissionis, & in publico studio argumentum, & me simul cum eo in tutellam tuam Patrone benignissime suscipe, ac primigenium hunc fætum meum contra maligni liuoris dentem scuto authoritatis Tuæ defende. Insuper me clientem tuum ad maiora attolle, ac aura lenitatis & munificentiæ promoue. Ego quicquid in me industriæ, quicquid virium est, id totum in nominis tui decus & ornamentum conferam: id certius oraculis vatum habeto. Datum Crac: è Contub. Iurisprudentum, Die III. Mensis Febr. Anno Domini, M.DC.XVIII.

Jllustriss. T. Cels.

æternùm deuotus
& addictus Cliens

Stanislaus Pomorski Artium lib: Magister, Philosophiæ Doctor, Contub. Iurisperitorum Senior.

M. MATTH. BVCZKOVII
ΔΗΜΟΤΙΚΟΝ
Ad clarißimum virum D. STANISLAVM POMORSKI, Art. lib. Mag. Philosophiæ Doctorem, I.V. Candidatum

Od. Monoc. Monostr. Anacr.

Inuia virtuti nulla via.

QVorsum tuus, POMORSCI
Vigor penetrat oram
Legisperitiorum!
Vt contumeliosa
Discorsq́; mens quiescat,
Pertundat & medullas?
Gratantur hinc amici,
Promunt metron Sodales:
Virtute, macte, DOCTOR
Sophiæ, eia STANSILAE:
Iurisq́; candidate.
In alta fer vigorem
Mentis; nequibit imo
Loco ille desidere.
Virtus in alta semper,
Ceu ignis, ire sueuit.
Orator, & Magister,
Iurisq́; sis peritus:
Vt consulas perîclis,
Pacem sequi docendo.
Sacrata vincla Legum
Disertus ore soluens
Fallaciam his retorque,
Queîs cor dolus perurget.
Recti Fidem tenacem,
Cunctis inire suade.
Tuo, quid est agendum
Multi dehinc virorum
Vtentur, instituto.
Vrge fidelis, astus,
Fraudesq́; perditorum
Disperde (ohe) virorum.
Et Testium rebelle
Pectus domare perge.
Contentio, perurens
Res, & tumultus, ipsos
Pellatur vsque ad Indos.
Dexter Patronus Artis,
Consultus atq́; Iuris,
IACOBVS ecce Doctor
(In cuius ore Suada
Consedit, & Minerua
Prædocta) Naymanowicz,
Sustentat, vt polum Atlas,
Pondus tui negocii.
Volumina ergo Legum
Manu reuolue dextra,
Vt sic queas salutem
Rebus parare tutam.
Si, Marte promereri,
Laus ciuicam coronam,
Lauro est nitere maior.
Consultor vtq́; fias
In publico Lycæo.
Horsum tuus, POMORSCI
Et Iuris vtriusq́;
STANSLAE Candidate,
Vigor penetrat oram
Legisperitiorum.

QVÆSTIO

ex c. Testimonium.

EXT: DE TESTIBVS ET ATTESTAT.

juncta L. 1.

DIG: DE TESTIBVS.

V. Iudex, cum in eius arbitrio posita sit omnis ratio probationum Iudicialium, maximè autem earum, quæ per testes fiunt, personas viles, malæ reputationis, notatas vtraque infamia, tàm Iuris, quàm facti, ad deponendũ de veritate admittere, eorumq; dictis stare, nõnũquã valeat: nec né.

CONCLVSIO I.

In arbitrio Iudicis eſt poſitum, quando Teſtes ad probādum admittendi ſunt, quantumque eorum depoſitionibns fidei adhibere debet.

COROLLARIA.

1. *Eſt Electio penes Iudicem, num cauſæ veritatem per Teſtes potius, quam per inſtrumenta indagare velit, pro natura facti occurrentis.*
2. *Adeò autem exuberat facultas Iudicis in diſcernendis depoſitionibus Teſtium, vt poßit quantumuis clarißimè deponentibus, fidem non habere.*
3. *Arbitrium Iudicis hic adeo credimus eſſe adſtrictum Regulis Iuris, vt poßit puniri, qui vel admittendos Teſtes reiecit, vel reÿciendos admiſit.*
4. *Non infrequens in praxi eſt, Iudicem punire Teſtem in deponendo delinquentem, quamuis non ſit ſuus ſubditus.*
5. *Si contingat re ita poſtulante, excommunicatum*

tum

tum Testimonium ferre, poterit absolui ad cau tellam ab inferiori etiam, quam suo Iudice, à quo censura innodatus fuerat.

CONCLVSIO II.

Testes viles, & malæ reputationis, regulariter à testimonio ferẽdo repelluntur, possunt tamen ad testificandum ex causa admitti.

COROLLARIA.

1. *Pauperes si sint honestæ vitæ, nec suspecti, valebit Iudex ad deponendum admittere, idque ne dum in communibus causis, verumetiam in maioribus, vti sunt Criminales, Matrimoniales. &c.*
2. *Paupertas tamen in Teste hoc vicij secum trahit, vt in Casu, in quo requiruntur Testes omni exceptione maiores, possit opponens de paupertate negotium eis facessere, & quód in comparatione ad diuites, minus fidei habeant, quàm diuites.*
3. *Qui verò dicatur pauper Testis ad effectum vt*

repellatur à Iudicio, in arbitrio Iudicis poſitũ eſſe non dubito.

4. *Lictores, quia vulgo infames habentur non dicent Teſtimonium, niſi in caſibus functionem eorum concernentibus.*

5. *Spurium, Meretricem, non magis admittet ad teſtificandum Iudex, quàm alias viles perſonas, pugnantes cum beſtijs, hiſtriones, ioculatores, frequentatores tabernarum, quibus benè coniungemus, qui vulgo apud nos ad teſtificandum pro quolibet, in qualibet cauſa pecunia conducuntur, teſtanturq; tanquã Nobiles.*

CONCLVSIO III.

Infames infamia facti nõ eſt nouum in Cauſis maximè ciuilibus in Teſtes admitti.

COROLLARIA.

1. *In criminalibus cum regulariter non admittantur Infames facto, tùm verò minimè, cum teſtimonium dicitur contra inſignem aliquam perſonam.*

2. *Quod ſi veritas aliter haberi non poſſit in cri-*

minalibus

minalibus ad indicium faciēdum potiùs, quàm ad perfectam probationem admittentur.

3. *Quando est coniuncta vilitas in Teste cum infamia, quicquid deponet, nullius erit ponderis in Iudicio, nisi tortura fortè depositio firmata fuerit.*

4. *Testes Nobiles iuncti Infamibus facto, pro natura causæ supplebunt defectum contestium infamium.*

5. *Si fiant interrogatoria super crimine, vel infamia, ad effectum vt detegatur, vel crimen, vel infamia in Teste, non tenetur talibus interrogatorijs, testis respondere.*

CONCLVSIO IV.

Notatos Iuris infamia in nullo genere Causæ, Iudex ad testificandum non admittet.

COROLLARIA.

1. *Etsi pars non excipiat de infamia contra Testem, Iudex ex suo officio poterit eum repellere.*

2. *Quicquid dicat non mala pars scribentium, non est verum vndiquaq; infamem contra infamem ad testimonium admitti.*

3. Enor-

3. *Enormitas criminum, qualia ſunt, Hæreſis, Maieſtatis, Simoniæ, Sacrilegij, Perduellionis, & ratio periculi publici, vt in fraudato cenſu, alienatione bonorum Eccleſiæ, facit admitti infames quauis infamia, ad deponendum.*

4. *Occultus infamis, reſtitutus, emendatus, appellans pendente appellatione in cauſa infami, non magis reprobati teſtimonij erit, quam ille, cui ex poſt facto ſuperuenerit infamia.*

5. *Si partes in teſtimonium infamiū conſenſerint, valebit illud; vt Iudex compromiſſarius Iuriſdictionem habens voluntate partium, & ex æquitate negotium decidens, non prohibetur in indagatione Cauſæ infamium teſtimonio, vti.*

Laus Deo Virginiq; Matri.





Sub felicibus auſpicijs Admodum Rn̄di P. ac Magnifici Domini, M. BASILII GOLINII, Sacræ Theologiæ Doctoris & Profeſſoris, Canonici Cracouienſis, & Vniuerſitatis Crac: Generalis RECTORIS. Diſputabitur in Lectorio Maiori DD. Iuriſconſultorum Crac. Anno Dni. M. DC. XVIII. Die Menſis Febr. Hora 14.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0018898